

Commissio ad *Novas Materias*, examinata quaestione, vel illam transmittit ad Commissionem ordinariam competentem pro materiis connexis vel ipsa relationem facit communicandam ad Congregationes Synodalia.

Hæc Commissio sedet quoties necesse est, tempore designato a Preside.

3^o

PROMOTORUM MUNERA.

1. Promotorum gravissimum munus paucis exposuit Benedictus XIV docens eorum esse urgere actiones conciliares seu insistere ut omnia quæ in Concilio facienda sunt celeriter et fructuose perficiantur.
2. Eorum est instare ut materia in Commissionibus tum Synodaliis, tum Episcoporum, et in Sessionibus, opportuno tempore parata et bene ordinata sit.
3. Eorum est providere ut forma actionis conciliaris in omnibus recte expediatur. Quænam vero sibi præsertim negotia incumbant, facile perspicient ex formulis eis propositis in parte sexta hujus libelli.
4. Eorum est etiam in omnibus ad Concilium pertinentibus bonum ordinem tueri et servare, delinquentes admonere, et si casus gravitas exigit, ad Judices causarum deferre.
5. Officio suo alternantes, si ita eis placet, fungi poterunt, dummodo de negotiis unicuique agendis inter se mutuo conveniant.